Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1835) Livy 1535

QUÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis diſputationibus, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ Martii.

M. ANTONIO LE MOINE, Doctore Medico, Præſide.

An propter Canis exortum, difficiles æſtate purgationes?

OMNIUM fere motborum antecedentes cauſæ vulgo ſtatuuntur, plethora, & cacochimia: Illi venæ ſectio, huic debetur purgatio: quæ majota remedia nuncupantur. Iſta licet in genere ſit quælibet humorum qualitate peccantium, ſive vomitu, ſive per urinas, & ſudores evacuatio; uſus tamen obtinuit, ut eam quæ per alvum fit propriè deſignaret. Quæ quidem evacuatio licet ſolita ſit, ut ſingulis etiam diebus natura debeat ipſius eſſe memor, non ideo tamen, ſtatim atque ſunt hujuſmodi humores qualitate peccantes, promovenda. Quamquam enim venæ ſectio ſit ſanguinis, optimi nonnumquam & laudabilis, evacuatio; tutius tamen adhiberi poteſt, quam purgatio; quæ nec in ſanis, nec in ægrotantibus, niſi magnis adhibitis cautionibus, præſcribi debet; quantum enim iſtis eſt neceſſaria, tantum in illis eſt aliquando formidanda; in quibus tantum abeſt ut morbos ptæcaveat, quin imo nonnunquam excitat, & mortem etiam aliquando procurat. Hinc male ſibi conſulunt, qui purgantibus aſſueſcunt, cujus quidem conſuetudinis ratione, nullatenus eſt præſcribenda, ſed illa victûs genere eſt corigenda. Idoneum in morbis purgandi tempus à dierum numero definire, indignum prorſus eſt medico rationali. Hæc enim, in febribus potiſſimum, ἐυκαιρία ab humoris morbum efficientis coctione tota dependet. Nunquam igitur de purgatione cogites, niſi humor quem purgare intendis coctus ſit, & ad eliminandum præparatus; quod eò magis obſervandum, quò febres vehementiores ſunt, ac intenſiores. Hinc in earum principiis abſtinendum à purgantibus: quæ tamen præſcribit Hippocrates, ſi turgeat, & orgaſmo concitetur humor: ſed tunc longè ſecurior venæ ſectio, quæ efferos, & tumultuosè concitatos humores citius compeſcit; cum ab illis turbas cientibus, magis adhuc efferantur, ita ut ſit potius periculum decubitûs in aliquam partem, quam ſpes excluſionis è corpore. Nec ut purgandi occaſionem Hippocratis patrocinio tibi ſæpius aperias, humores ſæpius turgêre fingas. Si namque rarò turgêre in mati Carpathio, ubi inſula Cos, obſervavit Hippocrates; longè tarius in his-ce regionibus, quæ magis ad Boream vergunt, ſuntque multo frigidiores, turgêre neceſſe eſt. Coctâ igitur materiâ, opportuna maximè purgatio; turgente, periculi plena; [a] Epid. 7. nec coctâ, nec turgente, ſed urgente, ſummè non nunquam neceſſaria; atque ad id audendum tibi ſuppeditat exemplum Hippocrates in Pythonis filio; ſuppeditat & natura, cujus imitator eſſe debes in ſpontaneis evacuationibus, quæ feliciter ſuccedunt, ut in Metone, Clazomeniô, Epicratis uxore, muliere ttimeſtu fœtu gtavidâ, Pericle Abderitano, virgine laviſſæâ, Melidâ Leophorbida &c. Invitat etiam illa, ſi deorſum humor feratur; ſi fluxilis ſit, non tenax, craſſus, & viſcidus; ſi viæ per quas ducendus, patentes ſint & liberæ, nullâque inflammatione affectæ: ſi venter ſtrepitus edat, & utinæ ſint craſſiotes. Neque inde putes, contra divini ſenis oracula, crudorum eductionem fieri: evacuationes ejuſmodi, quæ fiunt exiſtente materiâ crudâ, non ſunt crudæ materiæ, ſed illius quæ veluti antecedens, in focum tranſmittenda, putredini & febri pabulum eſt ſuppeditatura. Crudam autem, qui ſuis minotativis educere conantur, vitam potius *minorant*, ut ita dicam, quam humorem morbificum.

MEDICAMENTA quorum ope putgatio fit, ab effectu purgantia nuncupantur: eorum multa ſunt genera, ſed quæ magis ad praxim pertinent, ab humote quem educunt, & ab operandi modo repetuntur: illius ratione alia cholagoga, alia phlegmagoga &c. ſed male, dicuntur; omnia namque omnes purgant humores, ſed non omnes æquabiliter. Ab operandi modo, dividuntur in blanda, mediocria, & vehementia; quæ differentia, potius habitâ ratione ægrotantium ſtatui debet: in quibuſdam enim leviora, vehementiorum vim imitantur; neque ideo blanda ſunt, quod certum ipſis ſpatium datum ſit, & primæ regionis limitibus operatio circumſcripta: valentioribus verò per totam microcoſmi machinam ambulandi libertas conceſſa ſit: famoſa namque corporis humani, tres in regiones diviſio, à ſanguinis circuitu convellitur. Enim vero cum chylus à ventriculo deferatur ad cor, ſubtiliſſimæ quoque ex purgantibus atomi ſimul ad cor penetrant, & ad totum fere corpus per vaſa ſeſe diffundunt; in quibus non ſympathiâ, vel virtute magneticâ, humores attrahendo; nec antipathiâ eoſdem expellendo; ſed ſeſe in cognatos, & affines ſuccos inſinuando, eos movent, agitant, & ſpiculis ſalinis ſeſe altius infigentibus, ad fetmentationem excitant, & ſolvunt; Unde fit ut qui prius ſanguini permixti, nullam naturæ moleſtiam creabant, jam fuſi, liquatique, & quaſi turgeſcentes, naturam ad expellendum irritent. A quibus dum ſe expedire tentat, eos in totum corpus, arteriarum pulſu cogit: ſed ab iſtis tantum partibus excipiuntur, quibus figurâ & diſpoſitione conveniunt; atque ita glandulæ hepaticæ bilioſos humores hauriunt facile, & per porum biliarium, in inteſtina tranſmittunt; ſeroſos autem, & pituitoſos excipiunt pancreas, & glandulæ plexuum inteſtinalium; quos deinde, illud ſcilicet, per ductum virſungianum; iſtæ, per ſuas papillas, quarum poruli ſunt à calore patentiores redditi, in inteſtina deponunt. Concurrit etiam tunica muſculoſa media, quæ in ſubſidium intimæ veniens, ctebris ſpaſmis, & repetitis fibrarum corrugationibus efficit, ut ſerum ex iſtis glandularum papillis copioſius educatur. Nec ſemper ad putgationem neceſſe eſt ut hauriantur pharmaca: quibuſdam ſufficit purgantium odoratus; aſpectus, aliis; quibuſdam, cum purgatis accubitus. Fuere etiam aliqui ex inſomnio; commoda ſane purgandi ratio: jucundior tamen eſt, quam quædam mulieres expertæ, vi purgatrice per venerem cum ſemine transfuſâ. Sed cum hæc rara ſint; caſu tantum deprehendantur, & ad ejuſmodi purgationes diſpoſitio ſit ſolum à naturâ; ſtuduit ars reddendæ purgationi faciliori: hinc nonnulli partium liquidi purgantis craſſarum præcipitatione, & ſecretione, potiones claras, & limpidas exhibent: ſed hæ præterquam non ita ſunt efficaces, ipſi ventriculo, qui ſolet ad catharticum, tanquam ad *ſemi-venenum*, ut non ineptè medici quidam appellant, exhorreſcere, non parcunt. Alii ad ventrem, & umbilicum admovent purgantia: ſed eorum effluvia muſculis, & membrannis inſerta, lethale nonnunquam alvi profluvium excitant. Facilior adhuc purgandi modus à recentioribus inventus, intruſò per venam apertam cathartico: ſed ſuo quoque, & gravi periculo non caret ille, ptæter venæ ſectionem, quam non omnes admittunt. Longe profecto feliciores regni Malabarici ſacerdotes, qui pharmacum habete dicuntur, quod odore ſolo ſine torminibus, & nauſeâ purgat; totieſque alvum movet, quoties fuerit ad nares appoſitum. At licet longe magis temperato cœlo gaudeamus, nec tantus, nec tam diuturnus ſit apud nos æſtus: æſtate tamen moleſtæ prorſus, & difficiles ſolent eſſe purgationes. In noſtris etiam purgantibus, quàm diſſimilis agendi ratio; nullum eſt vel inter blandiora, à quo non poſſit hypercatharſis excitari. Nullum eſt vel inter vehementiora, à quo vix aliqua fiat interdum excretio. Unum & idem eidem præſcriptum homini, diverſo tempore, nunc ad voluntatem & proſperè, nunc infeliciter, & malis ipſius, rebus ſuccedit. Adeo peritum, & expertum in faciendâ medicinâ medicum requirit purgatio: tum ut conveniens eligatur pharmacum, tum ut convenienti quantitate, & doſi, convenientique tempore præſcribatur.

AD putgationem non morborum modo, ſed & anni tempora diligenter obſervanda voluit Hippocrates; ſed cum apud diverſas nationes diverſi ſint anni, aliis ſolarem, aliis lunatem adhibentibus. Cum diverſum quoque fuetit menſium nomen, diverſus numerus, & ordo, vel in ipſâ Græciâ. Atticis ab æſtivo Solſtitio, Achæis ab æquinoctio verno; & Macedonibus, ab autumnali principium anni repetentibus; hæc tempora non à menſibus quorum nomen, numerus, & ordo, prorſus ab hominum arbitrio pendent, & variè poſſunt immutari; prout in ipſo etiam anno Romano contigit; ſed ut longe certiorem, perpetuamque (prout tunc exiſtimabatur) regulam ſtabiliret, ab aſtrorum ortu, & occaſu tempeſtates anni, commodaque purgandi tempora definivit. Hinc non modo Pleiadum, Arcturi, aliorumque ſiderum mentionem fecit, ſed æquinoctiorum etiam, & ſolſtitiotum, in quibus ad viginti dies, cavenda pharmaca voluit ſummus ille Medicinæ dictator; quæ tamen ubi purgandi neceſſitas aderit, & occaſio, floccifacere debes, & contemnere. At nullum eſt inter ſidera, cujus major celebritas, & commendatio, quàm canis: duplex autem inſignitur hoc nomine conſtellatio: Canis enim major eſt, & minor; uterque dicitur Orionis venatoris fuiſſe, & cum ipſo, Dianæ precibus in cœlum evectus. Major qui auſtralior altero, ad ttopicum capricotni, à quo medius ſcinditur, ſitus eſt; plutibus ſtellis micat; quidam undeviginti numeravêre; quas inter una eſt fixarum omnium prout apparet maxima, & ſplendidiſſima, planetæ, Jovi cum terræ propior eſt & perigæus, æqualis. Hæc in ipſius ore ſita, ſirius, ſeu exſiccatrix ſtella nuncupatur: tantoque fuit apud veteres in honore, ut ſæpius aſtrum ſimpliciter vocaretur. Canis minor, Procyon, Præcanis, & Antecanis dicitur; magis in boream vergit, inter æquinoctialem & zodiacum, ad galaxiam poſitus: duabus potiſſimum micat ſtellis, quibus aliæ ſex adduntur; quæ præ reliquis fulget & in femore conſpicitur, à nomine totius aſteriſmi, procyon nuncupatur; à ſirio diſtans 25. gradibus cum 42. ſcrupulis. Utri autem competat celebre caniculæ nomen, ambigitur. Quidam nominis ratione ducti, minori tribuunt; plures tamen caniculæ vocabulo, ſirium, ſeu canis majoris partem fulgentiſſimam intelligunt, cujus exortu, unde ſumitur dietum canicularium principium, fervêre dicuntur maria, fluctuare in cellis vina, moveri ſtagna, canes in rabiem agi, terram areſieri, fruges æſtu conſumi, ardoreſque immodicos ab omnibus animalibus, vel mediis etiam in aquis, ab ipſis piſcibus perſentiri; ideoque toto eo tempore per quinquaginta dies à purgantibus abſtinendum voluit Hippocrates, propter vehementem & ſummum qui tunc adeſſe ſolet, aëris æſtum; at convenienter quidem & ſuo tempori, & ſuæ patriæ. Ejus enim ætate canis exortus uno menſe citius, quam noſtro contingebat; ſicque ferventiſſimo totius anni tempore: ejus etiam ævum, benignioribus pharmacis, quibus poſteriora nos ditavete ſæcula, carebat. Suæ quoque patriæ convenienter; degebat enim in ſexto climate quod longè calidius eſt octavo, cujus incolæ ſumus.

ORTUS & occaſus aſtrorum primo dividitur in aſtronomicum, de quo nunc non agendi locus, & poëticum. Hic rutſus duplex eſt, verus ſcillicet, & apparens. Ille, prout oriente vel occidente ſole fit, coſmicus, vel actonyctus nuncupatur. Apparens vero, ſive heliacus dicitur, cùm ſtella ex radiis Solaribus emergit, vel quæ prius conſpicua, iiſdem occultatur; & prout ante Solis ortum, vel poſt ipſius occaſum ea fit ſideris emerſio, vel occultatio; matutinus, aut veſpertinus appellatur. Intervallum autem, quo ſtella diſtare debet à Sole, ut ab ejus radiis libera, conſpici poſſit, pto variâ ſtellarum magnitudine, certo quidem graduum numeto definitur. Nihilominus tamen pro variâ horizontis plagâ, quæ non æqualiter illuminatur à crepuſculi luce, pro variâ ſtellæ, locique latitudine, aliiſque concurrentibus cauſis, varium eſt illud intervallum; unde multum quoque varius eſt ortus, & occaſus heliacus in diverſis regionibus, eodem tempore. At cum non idem ſit locus ſiderum, ut erat Hippocratis ætate, non iiſdem quoque diebus fiunt eorum ortus & occaſus. Sirius enim qui nunc in decimo cancri gradu, uno ferè ſigno anterior erat, ut & procyon, qui hoc anno vigeſimum primum ejuſdem ſigni cum beſſe tenet. Ille qui in Hippocratis climate oriebatur coſmicè, die reſpondente noſtri Julii ſexto; nunc oritur in noſtro climate auguſti ſeptimo. Oriebatur heliacè die Julii vigeſimo primo; nunc otitur eodem menſis auguſti die. Procyonis autem ortus coſmicus, nobis eſt Julii vigeſimo ſeptimo; & heliacus auguſti decimo quarto, qui divino Seni, pari dierum intervallo citius adveniebant. Quamquam autem ortus iſte ſit tantum apparens ad eum tamen potius quam ad verum, qui prorſus inviſibilis eſt, tempeſtates anni, temporumque mutationes referuntur. Qui namque primum obſervaverunt affectiones aëris, earumque tabulas compoſuerunt? exploratis Zodiaci locis in quibus ut plurimum illæ mutationes aëris accidebant, obſervarunt quoque, & diligenter notaverunt quæ aſtra temporibus illis orirentur, & occiderent: atque eorum ortu, & occaſu pro ſignis uſi ſunt ad iſtam præcognitionem. Sic itaque illis primo ſignificandi munus, ſed poſtea vim efficiendi popularis conſenſus attribuit; cùm igitur canis exortus ardentiſſimo contingeret anni tempore, ab illo calores æſtivos admodum augeri non ſolum antiquis perſuaſum etat, ſed hodie communi omnium fere ſermone percrebruit. Huic autem opinioni locum dedit id quod habetur in Græcorum monumentis de inſula, Ceo; [b] eam confirmavit periodus Ægiptiorum Sothiaca ſeu annus magnus canicularis; confirmarunt, & ſacrificia Romanorum, canina dicta, in quibus, circa canis exortum, ejus ſævitiæ placandæ causâ, canis immolabatur. At quamquam illa ſit maximè communis, & vetuſtate commendata, non ideo tamen veritati magis conſona, nulla namque ſirio vis peculiaris, nec aliis ſtellis inerrantibus, ad effectus, qui ipſis attribuuntut, producendos. Vel enim eam haberent ex ſe, vel à ſole, dum ſub ipſius radiis occultantur, depromptam. Ex ſe quidem eandem ſortitæ ſunt omnes ſtellæ fixæ naturam; ſicque nulla poteſt æſtus, pluvias, aut grandines potius, quàm nives, aut frigus efficere. At ſi virtus quædam aſſignatur ſirio; cœteras quoque ſuam habere neceſſe eſt. Sed cum earum infinita prope modum ſit à terrâ diſtantia; ita ut hæc tota ad illarum ſphœram, centri tantum, & puncti rationem obtineat; inde à ſirio, vel ab aliâ quâcunque ſtellâ, profluere ſola, ſinceraque & quin cum vario, qui fit ab aliis ſideribus influxu, variâque contagione confundatur, ad terras pervenire non poteſt. Unde meritò dubitare licet, an ad ſirium, vel ad alias ſtellas, qui producuntur effectus, ſint referendi. Dic præterea, ſi ſit aliqua virtus cuidam ſtellæ propria? cut ejus ortum deſignatus non ſequatur effectus? cur aliquando contrarius? cur maxima ſit ſerenitas in urbe, dum in agro proximo maxima tempeſtas. Neque datam à Sole vim exiſtimes, ſtellæ namque longè ſuperiores ſunt; & ſi credamus Theodidacto Kircheriano, centuplo magis à Sole diſtant, quam ſol à terrâ. Sunt igitur veluti tot Soles, & ut ſuum non habent à ſole lumen, ſic nec agendi vim mutuantut. At ſi quam haurirent à ſole, id potius accideret in ortu coſmico cum ipſi conjunctæ ſunt, quàm in heliaco, quem obtinere non poſſunt majotes & ſplendidiotes, niſi ad gradus duodecim ab iſto luminis fonte & planetarum Chorago receſſerint.

[b] Cælius Rhodig. XVII. 27. Tullius de divinat. I. ſub finem.

CALORIS æſtivi cauſa non aliò, quàm ad Solem eſt referenda, qui licet æſtate ſit à nobis remotior, prout tamen ad noſtrum Zenith ptopius accedit, magis directos, & perpendiculatibus magis ſimiles, majotique copiâ radios in ſubjectas plagas emittit; ex quibus, quando cum reflexis uniuntur, duplicatis, fit etiam æſtûs, & fervoris in aëre duplicatio: concurrit etiam cùm iſtâ præcipuâ caloris cauſâ diuturnior illius planetarum principis ſupra noſtrum horizontem mota. Quantum autem difficiles ſint tunc temporis purgationes, omnibus eſt manifeſtum; cùm exhauſta continuâ, quæ fit æſtuante cœlo, diſſipatione, corpota, contrarios quos inducit purgatio motus, ambientis calore ſuccos foras evocante, & medicamento fotis intus revocante, nullatenus ferre valeant. At ſi alio tempore, quàm ſub cane & ante-cane vigeat in aëre caloris exceſſus, ut menſe maïo vel junio; quod ſæpius, fit, non minus moleſtæ ſunt purgationes, quàm quæ præſcribuntur poſt canis exortum: imo longè magis aliquando, cùm nempè quod ſæpius obſetvatum, & etiam ab Hippocrate, tunc decidentibus pluviis, Eteſiis ſpirantibus, & adveniente frigidâ tempeſtate, repentina fit caloris, & æſtûs remiſſio: atque id etiam agnoſcunt calendariographi, qui dies caniculares eo toto tempore deſignant, quo Sol Leonis ſignum percurrit, habitâ potius ratione fervoris, qui tunc vehemens, & immodicus eſſe debet, quàm caniculæ, cujus exortus, ſicque dierum cynicorum initium non accidit, niſi tranſacto toto illo ſpatio, quod ſuis canicularibus diebus adſcribunt. Si tamen vim aliquam ineſſe ſirio contendas, ea ſane benigna debet eſſe, ſicque non tot malorum eſſectrix, cùm hæc ſtella inter eas quæ Jovis, benefici prorſus planetæ, naturam ſapiunt ab Aſtrologis numeretur. Si vis etiam Martialem eſſe, dum multiplices vires ſtatuis, nullas efficis: alterius enim effectus ab altero præpediuntur. Sed quantum iſtius canis cœleſtis ſaliva benigna ſit, probat mellis æſtivi genus, ſirio explendeſcente genitum, [c] quod tanquam donum cœleſte commendatur. Sed cùm ſidera in plagas quæ ipſis directè ſubjiciuntur, agant; eoque ſit vis ipſorum major, quo magis in ipſas directos radios vibrare poſſunt: ſirius autem ultra æquatorem in auſtrali cœli parte ſitum habeat, nec apud nos majorem quàm viginti quatuot graduum cum dextante, altitudinem obtinere poſſit: nec ultra novem horas ſupra horizentem ſubſiſtere: virtus ipſius in meridionales terræ plagas potius influet; ubi cùm hiems ſæviat æſtivo noſtro tempore, poſt ipſius exortum magna, vehemenſque debet eſſe frigoris acerbitas. Si lattatum adhuc, aut morſum canis cœleſtis reformidas, cur non æquè times cornua tauri vel arietis, qui nobis, ut pote citra lineam æquinoctialem, ſitu viciniores ſunt? Cur non leonis rugitum, cui pro corde ſplendidiſſima ſtella, tibi potius timorem incutere debet, tum propter quod leonis ſit, & Reguli, vel Baſilici nomen habeat: tum propter ſitum, quem obtinet, in ipsâ propemodum Eclipticâ, unde corpore Soli jungi poteſt, ipſiuſque vim intendere? Cur arcum Sagittarii, horrendam Arcturi ſtellam, cur tot monſtra, Dracones, Urſos, Cetos, Scorpios, Aquilas, Corvos, Lupos, Serpentes, Hidras, Centautum, Meduſæ caput, hominibus infenſiſſima, non refotmidas: & teformidas animal amiciſſimum homini? quaſi ex eo quòd cœleſtis ſit: alienam, nobiſque adverſam naturam habere debeat. Si terra tibi ſordeat, & velis ad cœlum omnia referre, cur non ſtatuis ideo nobis, eſurialibus hiſce feriis, victum ex piſcibus eſſe præſcriptum, quod Sol tunc temporis piſcium ſignum peragret. Id quidem etiam meliori jure poſſes aſſerere, quàm fervotis æſtivi cauſam à canis exortu repetere: cùm nunquam hæc accidet Ichthyophagia, quin Sol per maximam temporis ipſi deſtinati pattem in piſcibus reperiatur: at canis exortus non ſemper æſtivo tempore, ſed mediâ ſit aliquando futurus hieme; ſi tamen mundus eo uſque perſiſtat.

[c] Plin. XI 14. H. N.

Ergo non propter Canis exortum, difficiles æſtate purgationes.

Proponebat Pariſiis LUDOVICUS LEMERY, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1698.